

**Dissertatio inauguralis medica de medicamentis opiatibus officinalibus ... /
[Johann Caspar Isaac].**

Contributors

Isaac, Johann Caspar, 1674-1738.
Schulze, Johann Heinrich, 1687-1744
Universität Halle-Wittenberg

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : Typis Jo. Christ. Hilligeri, [1735]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/kdgtvxt7>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
**MEDICAMENTIS
OPIATIS OFFICI-
NALIBVS**

QVAM
P R Æ S I D E

D. IOANNE HENRICO SCHVLZE

MEDICINÆ ELOQVENTIÆ ANTIQVITATVM ET
PHILOSOPHIÆ PROFESSORE PVBLICO
ORDINARIO

ACADEMIÆ CÆSAREÆ NATVRÆ CVRIOSORVM ET
REGIÆ SOCIETATIS SCIENTIARVM BERO-
LINENSIS SODALE

PRO GRADV DOCTORIS

a. d. MAIL. M DCC XXXV.

PVBLICE DEFENDET
IOANN CASPAR ISAAC

GÖRLICENSIS.

HALAE MAGDEBVRGICAE

Typis JO. CHRIST. HILLIGERI, Acad. Typogr.

GEORGIUS ALEXANDER

MINISTER GENERALIS

STRENGTH DOMINO

D. O. M. I. N. O.

GEORGIUS ERNSTO

A. GERSDORF

DYNASTIA IN REICHENBACH, OBERSCH

ET BRUNNEN

SAARLAND

REICH POLON ET ELECT Saxon CAMERANO ET CON

SELIARIO NEC NON CURIA PROVINCIALIS DUCALIS

CORRIGENDIS PRASIDI ATQUE DISCRETI

NEC NON

VIRI ILLUSTRI AC GENTILISSIMO DOMINO

D. O. M. I. N. O.

HANS CHRISTOPH

GOTTLOB

A. WARRISDORF

HEREDITARIO DOMINO DE LAVCHITZ SE

SEERATISSIMO AC POTENTISSIMO AC ET ELECTORI

SAXONIAE & CATHOLICAE

V I R O

*ILLVSTRI, GENEROSISSIMO, MAXIMEQVE
STRENVO DOMINO*

D O M I N O

GEORGIO ERNESTO
A GERSDORF

DYNASTÆ IN REICHENBACH, OBERDORFF, OELISCH
ET GROS-KRANSCHÉ &c.

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI

REGIS POLON. ET ELECT. SAXON. CAMERARIO ET CON-
SILIARIO NEC NON CVRIÆ PROVINCIALIS DVCATVS
GORLICENSIS PRÆSIDI ATQVE DIOECETÆ
EMINENTISSIMO &c.

NEC NON

VIRO ILLVSTRI AC GENEROSISSIMO DOMINO

D O M I N O

HANS CHRISTOPH
GOTTLOB
A WARNSDORF

HÆREDITARIO DOMINO IN TAVCHRITZ &c.

*SERENISSIMO AC POTENTISSIMO REGI ET ELECTORI
SAXONIÆ à CONSILIIS*

VT ET

V I R O

ILLVSTRI AC GENEROSISSIMO DOMINO

D O M I N O

HANS GOTTLÖB

A GABLENZ

HÆREDITARIO DOMINO IN Hendersdorff &c.

*SERENISSIMO AC POTENTISSIMO REGI ET ELECTORI
SAXONIAE a CONSILIIS*

IN LVSATIÆ SVPERIORIS CIRCULO GORLICENSI PROCE-
RIBVS PROVINCIALIBVS SPLENDIDISSIMIS DOMINIS SVIS
MAECENATIBVS, PATRONIS GRATIOSISSIMIS
MAXIMEQVE COLENDIS,

HOC QVICQVID EST SPECIMINIS
INAVGVRALIS,

IN DEBITAE REVERENTIAE SYMBOLVM

PIA MANV

DEVOTO ANIMO

SACRVN ESSE IVBET

JOHANNES CASPARVS ISAAC.

Q. B. F. Q. V.

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICICA

DE

MEDICAMENTIS OPIATIS OFFICINALIBVS.

PROOEMIUM.



Medicamenta deorum manus esse ab Herophilo dictum commemoratur. Id intelligendum esse de bonis medicamentis, iisdemque recte & perite adhibitis, nemo dubitauerit. Certissimum est, nihil, quod magnas vires habet, inueniri posse, quod non vehementer nocere idem queat in manu imperiti & temerarii medici, aut talis hominis, qui quam non didicit artem in suo vel aliorum corpore exercere audet. Multa sunt a veteribus & recentioribus inuenta, quæ præclare iuant, quando cum omnibus conditionibus, quas rectus vsus requirit, exhibentur: quorum non pauca videmus hodie iacere, contemni & vitupei-

rari ab illis, qui forte numquam cogitarunt de re-
cto adhibendi modo addiscendo, ut, si omnino
experiri ipsi talia nolint, iudicium tamen ferre de
iisdem valeant, utrum illi, qui adhibent, recte dex-
treque, an sinistre & præpostere, in usu illorum
versentur! Equidem existimo multa in officinis
existare complurium sæculorum experientia du-
dum comprobata medicamenta, quæ mansura
etiam esse diu post nostram ætatem, & eclipsin
forte quidem passura subinde, sed pristinum iubar
recuperatura semper auguror. Non is sum, qui
vel omnia veterum inuenta approbem & laudem,
vel recentiorum diligentiam præ veteribus con-
temnam. Scio esse inter illa complura, quæ emen-
dari possint: & ab his proposita & inuenta esse,
quæ omnis grata posteritas mirabitur & cum de-
bita grati animi significatione commendabit.
Omni itaque modo demerendi & colendi sunt,
qui ad genus humanum a morbis & doloribus
liberandum contulerunt, quicquid ipsis innotuit,
nullaque invidia se impediri passi sunt a beneficio
tam bene recteque collocando. Enimuero &
illi aliqua habenda fuerit gratia, qui iam in huma-
ni generis commune bonum collata recensere &
vel præstantiam vel defectus eorum perpendere,
rectum

rectum vero & securum vsum pro viribus ostendere allaborauerit. Elegimus itaque nunc medicamenta opiata, quæ in officinis nostris publica auctoritate prostant, & in *Dispensatorio Regio & Electorali Porusso-Brandenburgico* describuntur. Curam atque studium ea mereri, nemo vel dubitauerit vel negauerit, qui, quanta circumspectione opiata offerenda sint, ex communibus medicinæ præceptis addidicerit. Nostrum hic non putauimus nos immiscere litibus opio passim intentatis, quod tanto minus requiri hic existimauimus, quocertius scimus non opium absolute damnatum esse, aut opiata repudiata fuisse, sed temerarium & imprudentem vsum, quem & ipsimet toto animo abhorremus, dissuademus, damnamus. Id vero dabimus operam, vt medicamenti cuiusuis quasi oeconomiam, quidque in illo vel pulcrum, admirabile & commodum sit, vel minus congruum & laudabile videatur; quodnam altero tutius aut periculosius sit, & quomodo errores & nocendi pericula evitari debeant, quis demum vsus nobis cognitus sit, candide & sincere, vt oportet in re ad totius humani generis commoda pertinente, proponamus. DEVM *Φιλάνθρωπον* veneramur, velit nos in omnem & solam dirigere veritatem,

§. I.

AD rem festinantes in verbis non morabimur explicandis. Opiatum medicamentum dicimus, cuius compositionem opium, omnibus medicis notissimum, ingreditur. Excludimus itaque illam notionem pharmaceuticam, qua opiatae vocantur certae compositiones, quae consistentiam eam habent, quae ad theriacae vel mithridatii modulum accedit, quibus tamen electuarius nomen tribuere non placuit, quia non nata sunt illam conservarum quantitatem, quae ex magistrorum formulas praescribendi legibus requiritur. Quando officinalium disertam mentionem adiicimus, facimus id studio lectorem beneuolum admonendi, ne arcana Eleusinia hic quaerat, aut magistrales praescriptiones, aut denique quicquid privato nonnullorum studio & ausu hic vel illic forte in usum vocatum fuit: de quibus omnibus, utpote non publice notis, non iniicietur vlla mentio,

§. II.

In ipso limine admonemus etiam, nos multa de opio heic omisisse, quae in celeberrimi & excellentissimi viri D.D. CASP. NEVMANNI, Consilarii & Profess. Regii, *praelectionibus de opio* leguntur, quas cum cura & studio legendas utique commendamus, quo facto tanto maiorem profectum in hac doctrinae parte licebit consequi. Quumque ibi de compositis officinalibus nihil ex instituto actum sit: officinalia autem opiata, praeter paucissima, de quibus nos tacebimus, composita sint, in quae crudum opium recipiendum est, aut quae recipiunt compositi-

positiones, quas crudum opium ingressum fuit: apparet in quo differat nostra opera, ab opere viri laudati laudatissimo.

§. III.

Quo vero felicius progrediamur, assumemus, tamquam scholæ medicæ confessum & indubium dogma, opium esse medicamentum valde celeris & magnæ virtutis, quam motus imminuendo & sensus obtundendo exserit, vsque adeo, vt si homo adultus, non adfectus, genuini opii vel vnicum granum assumat, in somnum feratur: si maiori copia hauriatur, lethargum accersat, & aliquibus lethiferum fiat. Vnde factum est, vt in catalogum venenorum sollemniter relatum fuerit, ob tristes effectus, qui consequuti sunt, si a temerariis aut malitiosis hominibus datum fuit sine illis cautelis, quas rectus vsus requirit. Hæc res effecit vt omni tempore fuerint, qui requirerent naturam huius succi, & a quo pendeat tam præsens effectus: vt illo cognito inuenirent, quid vel addendum ipsi vel demendum sit, quo mitius securiusque reddatur remedium.

§. IV.

Solebant autem, vt omnibus, qui veteres tractauerunt, cognitum est, ex qualitatibus manifestis philosophari, & vel humidum vel siccum, frigidum vel calidum excessuum accusare. Opium itaque plerique declarabant in quarto gradu, id est ad excessum vsque, frigidum: quamquam aliqui caliditatem in ipso animaduertisse volebant, ceterisque acre bellum propterea inferebant. Sed nos immiscere isti concertationi, si forte vtriusque partis patroni alicubi supersunt, minime volumus, qui huius rei non alio

B

fine

fine meminimus, nisi ut examinare & diiudicare possimus, quas rationes quisque auctor veterum medicinarum habuerit, cur hæc vel illa opio corrigendo admiscuerit. Nam qui frigidam naturam causabantur, calida adiciebant: qui calidam, debebant utique illis potissimum fidere, quæ frigida esse rebantur. Enimvero veterum plerique a frigidis stabant partibus: recentiores demum aliqui, ne illorum accessio viderentur, calorem accusabant.

§. V.

Exposcit nunc res ipsa, ut paucis dicamus, quid frigidum iudicauerint veteres, quid calidum, quasque utriusque notas proposuerint. Quicquid igitur calorem, vel in vniuerso corpore, vel in eius particula, excitat, ruboremque aut inflammationem inducit, quicquid motum intendit, excretionem ullam proritat, vel gustum aut olfactum sensibilem in modum afficit, aut sensationem doloremue excitat, id annumeratur calidis. Si quid vero contrarias his operationes edit, calorem moderatur, excretiones minuit vel supprimit, ruborem auferit, inflammationes coercet, sensum nullo modo ferit, aut stuporem illis inducit, frigidis accensetur. Ex quo apparet, quod propter sequentia adducendum fuit, veteres purgantia, vomitoria, diaphoretica, alexipharmaca habuisse omnia calida, eodemque aromata retulisse omnia, cum sapidis, præsertim dulcibus & acriusculis, tantoque magis acribus, itemque odoratis; atque ab his, si frigidis adiciantur, correctionem excessiuarum qualitatum expectauisse.

§. VI.

Quamquam vero nostro æuo quatuor illas qualitates,

tes, cum elementis Empedocleis & Aristotelicis, subtilius tornatas & multis modis modulisque transfusas & transformatas, incedere videmus; inter tot tamen medici dogmatis metamorphoses stat antiquitas firma, multaque confessæ rei, ut cum PLINIO loquamur, documenta seruat. Scilicet accepimus, quæ in officinis fulgent, & practicis, non abreptis nouarum rerum cæca admiratione, placent, aut pro exemplo seruiunt vel certe seruierunt, maiori ingenio feliciter excogitatæ compositiones, quibus laudem suam nemo æquus arbiter auferre cupit, si rei summam spectet, & non in minutiis inique tricetur. Superest itaque ut per has, ordine temporum, quantum coniecturæ locus est, eundo, artem perspicere, & vsum ostendere aggrediamur conatu, utinam responsuro euentu.

§. VII.

Inter compositiones officinales, quæ opium recipiunt, antiquissimam existimo illam, quæ a PHILONE TARSENSE nomem *philonium*, Φιλόνιον, accepit. Testem pro me adduco GALENVN de comp. pharmac. sec. loc. lib. IX. cap. 4. ubi hæc ferme, inquit, prima antidotorum dolores sedantium celebris facta est. Iuxta hanc autem aliis partim ad ipsam appositis, partim detractis, aut ponderibus mutatis, posterius magnum antidotorum dolores sedantium numerum fecerunt, quas etiam colicas vocant, denominatione ab affectione, quæ maximos dolores habet, deducta. Descriptio auctoris differt ab ea, quæ in nostrarum officinarum normis legitur, pridemque interpolationem eam Romæ cœpisse facile liceret ostendere, si id esset necessarium. Neque villo nomine reprehendo factam adiectionem, sed potius

laude eam esse dignam existimo. Sed videamus illius omnem oeconomiam.

§. VIII.

Tota compositio, ut præscripta est, conficit drachmas LXXXVI. Ex his sunt LXIV. drachmæ mellis: ceteram quantitatem conficiunt pulueres immiscendi. Basin hic facit opium, cuius dr. II. cum dimidia ponuntur, ipsi conspirat semen hyoscyami albi, cuius dr. V. accedunt. Atque ab his, nisi narcoticus & somnum inducens, effectus alius sperari vix potest. Iam si ponamus in opio dando ultra granum vnum non licere sine periculo progredi, & seminis hyoscyami albi dosin securam ultra scrupulum vnum non debere extendi: cognoscimus in vniuersum esse CLXV. doses, quæ adulto possint sine periculo offerri. Ita si ponamus calculum, inueniemus drachmam dimidiam esse dosin iustam, quam sine idonea ratione excedere non licebit, infra eam autem subsistere sæpe erit consultissimum. Sed age inspiciamus, quid accesserit ut corrigatur opium ac hyoscyamus, ut minus quam si sola essent, extimescenda sint.

§. IX.

Adiectum videmus primo quidem euphorbium, substantiam gummeo resinofam acerrimam, cuius vis irritans in virtute ptarmica fere incompscibili manifeste elucet, prorsus ut in hoc sit elleboro albo superior: virtus autem purgans est tam conspicua, ut practici aliqui non audeant adhibere, quidam in hydropicis grana V. permittant. Ponitur autem euphorbii drachma vnica, quæ doses satis magnas, ad purgandum quippe hydropticum sufficientes, duodecim continent, & in impedienda opii virtute narcotica non parum valent. Iam si,
quod

quod ab experientia edocti nunc adsumimus, dimidium iustæ doseos alicuius purgantis, vni grano opii adiectum, efficit vt nec opium narcosin exferat, nec purgans aliquid moueat; intelligitur iam *XXIV.* opii granis suum adiectum esse antagonistam, a quo coerceantur ne nimium possint agere. Et quum hydropicis maiores purgantium doses offerantur; non nimium vtique postulamus, si contendimus vnā illam euphorbii drachmam *XXX.* opii granis, id est quintæ parti totius quantitatis, in ordinem redigendæ & compescendæ sufficere.

§. X.

Accedit deinde piper album, cuius dupla, ad opium, adest quantitas. Piper sale acri fixo multo scatere, quem in humores demittere valet, docet decoctio, quæ acerrima euadit. Ob hanc acrimoniam calidum a veteribus iudicabatur: neque id omnino negatum ibimus: quum destillationi subiectum largiatur oleum æthereum. Sed multa tamen sunt minus, quam piper, acria, quæ tamen maiorem calorem concitant. In affectibus ventriculi & intestinorum frigidis tria plerumque grana credimus sufficere: idque videntur veteres sequuti, qui in pluribus compositionibus, quæ iam apud nos exfulant, duo grana piperis vni grano opii, tamquam antagonistam, opposuerunt: scilicet non omnino oppressuri eius natiam virtutem, sed continuo vellicans pigrum socium adiecturi, ne nimium stertat & obdormiat. Iam autem, considerato quid euphorbium valeat, & additis viribus piperis, fere æquas motum compescendi & eundem resuscitandi vires agnoscemus in hac compositione. Accedunt acria aromatica, vt pyrethrum, nardus Indica & Zedoaria, sed tam exigua quantitate vt eorum cuius

vix amplius vno opii grano domandum permittere auderem. Paulo plus myrrhæ tribuendum videtur, cuius integra drachma ponitur. Cassiæ lignæ, cinnamomo, dauco, fœniculo & petroselino Macedonico, carminativis & oleo æthereo præditis, parum tribuere hic licebit, quoniam nimis exigua est quantitas singulorum: videnturque adiecta, vt medicamentum ad intestina seorsim specificent, eodemque deducant: quod & GALENVS aperte asserit.

§. XI.

Excipiuntur, vt dictum est, omnia mellis triplo Mixta confermentant, quo facto opii vis narcotica exaltatur. Id probe cognouerunt antiqui, qui de omnibus huius generis antidotis nos admonent, ne demus alicui, nisi sex, ad minimum, mensium ætatem adeptas, Seorsim destinabant veteres hanc PHILONIS antidotum passioni colicæ a causa frigida, tum vero etiam doloribus a calculo, spleneticis, orthophoeis, pleuriticis, sanguinem eiectantibus, tussientibus, singultientibus, vt apud GALENVN *l. c.* videre licet. Sed de conditionibus, quibus ad hæc talia venire liceat, & de cautelis adhibendis, hic non est ample differendi locus. BRICIUS BAVDERONVS in *pharmacop. p. 105.* ita iudicat: *Hoc Philonium similes obtinet vires illis, quas laudanum spagiricorum ab eis celebratum, vt eo carere possis.* Irascor viro ob hoc iudicium. Quid enim est in laudano opiato, quod vllum ingenium prodat? quid est, quod opii narcoticam vim corrigat, vt reddatur blande & innoxie sedatium? Pretiosiora adiecta video, sed supervacua, & ad summam rei nihil omnino valentia. Est talis comparatio, ac si quis Vlyssen cum Therseite contendere velit.

§. XII.

§. XII.

Paucis subiungemus ex Philonio Romano ortum, quod dicitur, *Persicum*. Basis est huic eadem, quæ & illi: corrigitur piperis pari modo, sed euphorbii minor, & tantum dimidia est quantitas. Sed croci maius est pondus, scilicet ad opium quantitas media. Accedit castorii modicum, cum aliquibus adstringentibus. Per MESVEN illud nobis transmissum est, qui cum succo plantaginis dandum præcipit hæmoptysi laborantibus. Luxatam hic compagem quereretur, ob euphorbium minutum, nisi crocus damnum refarciret. Magis autem miror illos, quibus demto plane euphorbio imbelles medicamentum optare visum fuit, cum quibus nunquam ego quidem fecero.

§. XIII.

Transeo ad *theriacam Andromachi*, cuius oeconomiam & structuram paucis reddemus perspicuam. Vingt libræ medicæ huius theriacæ, ad præscriptum Regii & electoralis dispensatorii paratæ, continent opii tres vncias, quæ conficiunt grana cto cccc xxxx. Ad-dita autem sunt opio, quæ τὸ σάκχον, (HIPPOCRAT. de diet. II. §. IV) id est pigram eius & motus figentem indolem, excitando corrigant, haud parca manu, sed satis proportionata quantitate, non pauca, quæ ordine videbimus. Primum est pulpa scillæ, cuius vnciæ sex ponuntur, ut iam quoduis opii granum a scillæ duobus granis corrigatur. Accedit piperis longi par opio quantitas; piperis autem albi & nigri drachmæ duodecim succenturiantur, quæ est medium illius ponderis, quo opium fuit assumptum. Consequitur ad quodvis opii granum piperis esse granum vnum & dimidium.

Piper

Piper quid faciat, vidimus antea: cur longum hic maiori quantitate ponatur, edocet DIOSCORIDES II. cap. 189. *Est porro, inquit, longum intensa mordacitate præditum & subamarum, quoniam immaturum, antidotis & theriacis medicaminibus accommodatum.* Aliquanto clarius eloquitur HERMANNVS *cynasur. piper hoc rotundo quidem ingratius, sed virtute potentius, & proinde ad excitandos soporosos, emendandas ventriculi cruditates, usus elegantioris est, quam piper rotundum.*

§. XIV.

De scilla, ut exponamus cur hic ponatur, superest. Hanc ob nimiam acrimoniam veteres vix audebant intrus exhibere in substantia, sed aceto fere tantum infusam, aut vino vel aquæ mulsæ. Vomitus paucula grana concitant, humoresque tenaces valde incidunt & attenuant. HELMONTIO iuniori in arcanis fuit pulvis cum radice vincetoxici subactus, quem protraxit & publicis vñibus exposuit III. STAHLIVS in dispensatorio Brandenburgico nouissime edito, vbi sub titulo *pulvis scille compositus* legitur. Sat igitur generosus antagonista opio iunctus est, dum duobus scillæ granis, atque piperum grano vno ac dimidio stipatum ac custoditum in corpus hominis mittitur, minimeque verendum est ne narcosis magnam ipsi, hoc comitatu circumdatum, inferat: præsertim quum ex abundanti magna caterua alexipharmacorum, carminatiuorum & diureticorum subsequatur, quæ quam concinna & decora sit, nunc non quæritur. Voluit enim auctor & theriacam esse hanc compositionem, & simul alexipharmacam, non solum anodinam & sedatiuam: sed nos tantum de opiatis volumus nunc dispicere.

§. XV.

§. XV.

Minime itaque vereor asserere, theriacam Andromachi inter anodina medicamenta, quæ a vetustate excogitata sunt, longe esse optimam compositionem, si ea spectes, quæ pertinent ad scopum sedarium. Tam iusta est proportio opii & corrigentium eius, ut nihil hic possit iure desiderari, nihil demi sine detrimento, nihil addi sine vitio queat. Iustam dosin si quærimus, eam determinabit quidem præsens necessitas. Si computum rite ineas theriacæ nostræ grana LXXX. vnicum opii granum complectuntur: quare sic æstimabimus quousque progredi liceat. In tenera ætate, torminum vehementiam miserabili eiulatu, aliisque signis, prodente, proficuum sæpe cum gaudio conspexi pulverem concinnatum ex pulu. Marchion. & magnesiæ albæ a. drachm. i. theriacæ gr. x. inter se mixtis, cuius grana quinque tenerrimo data illico opem tulerunt. En quam exigua pars grani vnius. Scilicet decem grana theriacæ octauam partem vnius grani opii continent: sed quinque dicti pulveris grana sunt armata parte vicesima sexta vnius octauæ partis: quæ ducentesimam & quartam partem vnius grani æquat. Si eidem infanti eandem dosin, post aliquot dierum interuallum, præbeas, longe minus sensibilem opem percipies; quin dupla quantitas mox requiretur, ut voto satisfiat: quod & in aliis opiatis licebit simili modo conspicere.

§. XVI.

Sed prouectior ætas, & morbi vehementissimus impetus, maiorem dosin admittunt, & sæpe expostulant; tuncque potissimum cognoscitur remedii bonitas, & quod hæc compositio a crudo opio multum differat.

C

Maio-

Maiorem dosim vocamus, quando altius adscendimus, quam ad eam quantitatem, quæ granum opii vnum comprehendit. De hoc afferam testimonia virorum doctissimorum, de sua experientia publice testantium. Primus sit celeb. OLAVS BORRICHIVS, qui in *dissert. de somn. & somnifer.* §. 32. ita scribit: *mibi nihil securius observatum in peste, quæ urbi nostræ (Hafniæ) A. MDCLIII. ferocissime incubuit, sola theriaca, sed liberalius, non improuide tamen, propinata. Plures enecti, qui drachmam hauserant, etiam subinde drachmæ geminæ nihil afferebant opis, eoque in adultis nonnumquam ad tres ascendendum fuit, non sine periculo quidem, minus tamen, quam malum ipsum, periculoso. Viuit apud nos hodieque celebris musicus, quem tum lue illa sæuiter correptum hoc modo, propitio numine, restitui. Laudatur hoc ipsum in Eph. Ac. N. C. Cent. VI. obs. XXX. pag. 255. a celeberr. D. D. ERNDL, qui de sua experientia hæc promit: Inter omnia alexipharmaca præualebant diascordium Frac. & theriaca Andr. non ad drachmam vnā vel alteram, sed ad tres, immo unciam semis & ultra præscripta, sale volatili C. C. præterea & camphora acuata, & cum acidulis, loco vehiculi, propinata. Numquam ausus fuisset ad tam excessiuam opiatorum dosim ascendere, nisi ab illustri quodam medico applicationem talis remedii salutarem obseruassent. Decumbebat aliquis pestilentiali febre carbunculis & bubonibus stipata, per quinque dies integros nihil dormierat, vehementissime autem, præ dolore inflammatorio, delirabat. Huic diascordii drachmas sex, theriacæ dr. III. cum salis vol. C. C. dr. semis & camphoræ scrup. sem. addito aceto bezoard. & aqua conueniente, pro tribus dosibus intra sex horas assumendis propinabantur, successu tam exoptato, ut ultima dosi vix absoluta in somnum solueretur ad 7. horas, & ultra durantem, emergente simul sudore, & cessante delirio.* §. XVII.

§. XVII.

Apparet ex hoc testimonio, quod opiata correctā, etiam maiori dosi, adeo non noceant, si tempestive dentur, ut potius præclare iuvent, non profutura si timide & trepidanter fuissent oblata: & quod non omnino verum sit, quod a pluribus perhibetur, opiata excretiones prohibere, sicque confirmandis morbi viribus favere. In tractu Norico nihil celebrius est pilulis ad dystokiam b. D. D. MAVR. HOFFMANNI, quæ ex theriaca, additis cinnamomi & glycyrrhizæ pulveribus, constant. Ad harum imitationem D. PRÆSES haud ita pridem teneræ puerperæ opem tulit bolo ex iisdem confecto, quum dolores ad partum omnes superius ascenderent, ferociterque vomeret: & quamquam medicinæ partem primo oblatam illico reuomebat, alteram tamen assumptam retinebat, & vix horæ dimidio transacto geminam prolem feliciter enitebatur. Certe rationi consentaneum est vehementes spasmos maximum esse cuiusvis salutaris excretionis impedimentum: quos si quis remiserit, maximum utique attulit promouendæ excretioni subsidium & adminiculum: idque opiatīs correctis & iusto tempore exhibitis licet impetrare, & in multis quidem morbis vix ullo alio citius & securius, quam theriaca; de cuius viribus plenius hoc loco differere nec institutum nostrum requirit, nec tempus permittit, quod iam diu ad alia recensenda nos vocat.

§. XVIII.

Theriaca hæc ANDROMACHI antidotus suum reformatorem & interpolatorem in Galliis nacta est IOSEPHVM QVERCETANVM, non contemnen-

dum virum, sed nimium forte sibi fidentem, & minus, quam decebat, vetera, quæ proba erant, æstimantem. Videtur abreptus fuisse illa opinione, quam alibi prodit, quod optimum medicamentum sit quodque concentratissimum, ut loquebantur illius temporis chymici, qui & panem & aquam ac vinum videntur contemnere, quia illorum beneficium, quod nobis præstant, non inclusum est paucis granis & guttulis, quæ quintam, quam somniabant, essentiam ita complectantur, ut sine excrementi necessitate illis frui liceat. Offendebat itaque virum, meras perfectiones somniantem, iamque paradisum sua chemia sperantem, humanoque generi destinantem, paullo diffusior medicamenti moles, non granis sed scrupulis admetienda. Rescindebat itaque mel, quod totius quantitatis omnium assumendorum triplum requiritur: ceterorum extrahendas vires sibi sumebat, usque adeo ut & ex cineribus salia extrahenda curaret. Addebat, ne quid deesset, bono ANDROMACHO, rudioris sæculi viro, ignota, bezoar utrumque, ambram, margaritas, lapidum pretiosorum solutiones, corallia, matrem perlarum, bezoardicum minerale, cinnabarin antimonii & nativam, & plura huius generis, quæ mors atra refugit & exhorret.

§. XVIII.

Non dissimilis suæ gentis, sui nimirum temporis chymicorum, hæc inter erat, & silentio philosophico, ut par erat viro humano generi inferuituro, inolvebat menstruum illud magnum philosophicum, quo deberent a fæcibus separari & extrahi utiles partes, ut enasceretur cælestis theriaca. Parum utique quantum
in

in se fuit, humano generi profuit, quum inventum suum non prodiderit absque invidia. Sed videamus quid æquitas iubeat statuere de emendatione, quam quæsiuisse eum aperte intelligimus. Opium, quod basis est, retinuit, eadem quantitate, qua Andromachys posuerat. Hoc spiritu vini male extrahitur & valde imperfecte: Et quando deinceps aqueo menstruo tractatur, incommode additur spiritus vitrioli. Nolumus omnia accuratissime consuetari. Hoc nemo negauerit, opium hac ratione integras vires non conservare, neque tamen vllō pacto corrigi.

§. XX.

Sed corrigentia cetera manent. Manent, sed non omnia, & integris viribus. Pulpam scillæ tertiā parte minuit. Piper longum reliquit: album & nigrum omnino omisit. Nec longum, vt decebat, quale natura dedit, passus est, sed ad superciliosæ sapientiæ nutum bis vel ter recoxit, id est toties corrumpit. Bonum est, quod scillam religiosius tractavit, hocque vno meretur minus vituperari. Nolumus percurrere ceterorum, quæ addidit aut abstulit, rationes, ne nimis excrescat dissertatio. Hoc dicimus imparem fuisse **QUERCETANVM** emendandæ theriacæ Andromachi, dedisseque hunc virum pyxidem officinis splendido titulo ornatam, sed in qua nubem pro lunone amplectuntur incauti amatores, quippe nihil minus quam correctam theriacam complexa & includente: quum vere non sit in theriaca Andromachi, quod correctionem exposcat vel admittat, nisi quis *κατανοήσας* velit sigillare minutissima, & extra considerationem compositionis opiatæ posita. Sed & hoc intuitu Querceta-

nus nihil emendauit, quippe ipsius præparatum ad theriacum & alexipharmacum scopum longe minus facit, quam Andromachi antidotus, quæ cælum non affectat, sed humi repere cum mortalibus & inter mortales, quorum vsibus destinata est, fatis habuit.

§. XXI.

Theriacæ Andromachi ætate proxima est illa antidotus, quæ vocatur *Mithridatium* DAMOCRATIS. Rex ille Ponti MITHRIDATES, a quo nomen traxit, ad ætatem paulo superiorem referendus est, sed quæ sit medicamenti confectio ab hoc profecta, ignoratur: quare vtendum est illa, quam non contemnendus vir concinnatam suo iudicio, ad posteritatem transmisit. Eius libræ medicæ XII. continent opii drachmas V. adeoque tres libræ vnicam drachmam & grana xxxv. libra vna, triginta tantum quinque grana complectuntur. Sunt vero cuius opii drachmæ piperis tres, & Zingiberis duæ drachmæ oppositæ: quibus accedunt Zedoriæ vncia vna, cubearum fere tantundem, myrrhæ drachmæ vndecim, spicænardii tantundem, croci decem drachmæ, & castorei, quod singulare opii corrigens perhibetur esse, integra vncia. Nolo ceterorum carminatiuorum & alexipharmacorum recensere agmen. Satis multa, quæ pigritiem opii, excitato motu, submovent, stertoremque interpellent, adesse apparet, vt & hæc compositio adscribenda sit melioribus & maiori iudicio excogitatis. Danda illa vel duplo largioribus esse licet, quin omnino fere triplo, quam in theriaca, sic vt duæ drachmæ non sint magna dosis, quum in tribus drachmis non amplius vno grano opii habeamus, per tot excitantia correcti. Sed & hic tenenda est cautio

tio illa, quæ in omnibus mellitis compositionibus, vt absolutæ fermentationis iustum tempus expectetur: quare semper præstat hic paullo vetustius medicamentum accepisse, quam vno anno inferius,

§. XXII.

Theriacam & mithridatium æquis partibus coniungit *theriaca de citro*, non vtique mala compositio. Scilicet singulorum duabus drachmis adduntur corticum citri conditorum vnciæ duæ, cum aliquantulo smaragdi præparati, terræ sigillatæ & specierum de gemmis frigidarum. Huius offerri potest vncia dimidia, vbicunque vel tormina alui a causa frigida compesci debent, vel nauseans ac vomituriens ventriculus sedandus est, vel grauibus temporibus ac locis aeris frigidi & humidi iniurias auertere cupimus, & transpirationem insensibilem promouere, aut fluxus alui moderari.

§. XXIII.

Progredimur ad medicamenta durioris consistentiæ, quæ opium recipiunt, a vetustate ad nos transmissa. Hæc inter primo ad se vocant *pilula de cynoglossa*, quarum antiquitas nobis patebit, legentibus ALEXANDRI TRALLIANI *libr. V. cap. de tussi*, p. m. 79. Nam quæcunque ad basin pertinent, ibi inueniuntur. Ex descriptione, quæ in dispensatorio nostro legitur, drachmæ xxxii. complectuntur opii drachmas quatuor: adeoque in vncia habemus drachmam opii vnam; vnde consequitur octo grana harum pilularum vnum opii granum complecti. Nulla re hic corrigitur opium, nisi myrrha, cuius sesquigranum ad vnum quodque granum opii additur: nisi a caryophyllis & cinnamomo tribuere aliquid velis, quorum cuiusuis ad quoduis opii gra-

granum accedit grani vnus dimidium. Ex ceteris opio conspirat semen hyoscyami. Radicem cynoglossæ etiam accensent aliqui soporiferis: sed iustas rationes habeo cur accedam THO FVLLERO in *pharmacop. extemp.* de syrupo e cynoglossa ita scribenti: *Populus medicorum vno ore vim soporiferam attribuit cynoglossa: ipse vero hunc syrupum licet millies in usum duxi, nullam tamen eiusmodi eius virtutem adhuc obseruare potui.* Satis de reliquo bonæ sunt hæ pilulæ, si quis in catarrhalibus molestiis & alui torminosi fluxibus exhibeat pauca grana. Hodie fere pulueribus temperantibus nitrosis vnicum pro dosi granum additur, quod per interualla exhibitum conspicuis viribus sedatiuis minime caret, vt & quotidianum sit in praxi illorum, qui alias opiata reprobant.

§. XXIV.

Subiungimus his *pilulas de styrace*, quæ per Arabes ad nos transmissæ sunt. Olim, vt FRANC. ALEXANDER in *Apolline p. m. 165. b.* docet, parandis his imponebant omnia, quæ ad pilulas præcedentes requirebantur, addebantque styracem & succum glycyrrhizæ. Sed nostris officinis alio modo componendæ præscribuntur: quem in dispensatorio relegere iuuabit. Secundum hunc in vncia vna habemus paulo minus drachma vna opii, cui nihil, quo corrigatur, accedit, præter myrrham & extractum croci, quorum singulorum par opio quantitas ponitur. Parum vtique, tam in his, quam præcedentibus, emendatur opii fixitas: Vnde per se non satis consulto dantur, nisi proportionata additio fiat pilularum quarundam euacuantium, vt cochiarum aut de succino Cratonis, vel aliarum scopo idonearum, quo ipso vtilissima medicina enascitur
in

in omni catarrhali & rheumatico morbo, si periti & circumspecti medici manu tempestiue offeratur.

§. XXV.

Ab iisdem Arabibus ad nos deriuatum est trochiscorum duplex genus, alterum *de halicacabo*, alterum *de Carabe, seu succino*, vtrumque opiatum. Videas ex his Arabes minus, quam Græcos, fuisse vel circumspectos in opio ordinando, vel modorum illud corrigendi gnaros, quum vere parum ingenii ac sollertiæ ad eas contulerint. Prior medicina, vt apud nos paranda est, in LXXX. drachmis duas habet opii: vnde prona est computatio, quod in vna & dimidia drachma granum vnum opii insit. Prorsus nihil est a quo excitandi vires expectes: omnia adiecta sunt lubricantia, incrassantia, refrigerantia, traumatica & balsamica. Et si quid diureticum adest, magis videtur destinatum specificandis reliquis ad vrinæ vias, quam vt opii vires nimias cohibeat. Commendabant veteres ad renum & vesicæ vitia, vrinæque dolorificam excretionem: sed parum tutam esse dosin paulo maiorem existimare licet: vt non sine ratione hi trochisci sine opio parandi expetantur: quales, si modo recentes sint, non videntur contemnendi, quum plura habeant, quæ cito corrumpi possint.

§. XXVI.

Trochiscis *de Carabe* exigua vel nulla prærogatiua tribui potest. Drachmis XXXII. quatuor scrupuli insunt opii crudi: adeoque vncia vna habet eius scrupulum, & XXIV. granis vnum opii prorsus crudi, nisi quantum croci par quantitas emollire possit, inest. Cetera sunt incrassantia & adstringentia, præter succinum, quod excretionem aliquantulum stimulat. Hæmorrhagiis

giis sistendis satis efficaciter, utinam æque tuto, succurrunt, cum succo plantaginis exhibiti. Sed fere in hunc finem dare placebat *looch de portulaca*, in cuius duabus fere libris vnica horum trochiscorum drachma est, id est granum sestertium: cuius quantitas satis magna lingi lambique potest, ante quam in periculum ægrotus adducatur.

§. XXVII.

Inter vetustas compositiones vnica superest, nempe *Collyrium album*, quod barbaro nomine *sief* notius est. Tribus eius vnciis inest drachma opii vnica, vnde in vncia erunt XX. grana, in drachma nondum tria grana. Externis tantum vsibus destinata est medicina, in ophthalmia, lacte muliebri aut aqua quadam diluenda ut instillari possit. Apparet quam pauxillo ad hunc finem opus aut locus sit. Sed iam antiqui reprehenderunt opium hoc casu, teste DIOSCORIDE *Lib. IV. Cap. LXV. Erasistratus*, inquit, *Diagoram testatur illius usum damnassee in aurium doloribus & oculorum lippitudinibus, quoniam & visus aciem hebetaret & soporiferum esset. Addidit Andreas, protinus excoecatum iri, qui eo ilinerentur, nisi adulteraretur.* Non quæremus nunc, annon nimius sit metus; quoniam rarius hodie expetitur hæc medicina, & pro illis, qui cauti esse volunt, sine opio præparatum collyrium prostat. Progredimur potius ad medicinas opiatas, quas recentius æuum excogitauit & ad nos transmisit.

§. XXVIII.

Initium facimus ab *electuario de ouo Imperatoris MAXIMILIANI*. Illius dimidiam partem facit theriaca Andromachi. Adduntur alexipharmaca & antidyfenter-

terica, cum croco & nuce vomica. Hæc vero vltima tam exiguo pondere accedit, vt ad drachmas LXXII, vnica tantum ponatur. Apparet hoc electuarium cense-
feri debere a theriacæ viribus, & si opium spectes, du-
plam, respectu illius, quantitatem præberi posse, &
ne irrita spes reddatur, debere. Corrumpunt medi-
camentum, qui nucem vomicam subtractam volunt;
cuius potissimum intuitu iuuat ab animali rabido mor-
fos, & in periculo hydrophobiæ versantes. Cum hoc
in multis conuenit *electuarium camphoratum*: quod in pa-
ri quantitate duplum nucis vomicæ complectitur.
Vtrumque remedium in pestilentia, cum aceti bona
quantitate exhibitum, maxime conspicuos fructus sæ-
pe edidit, si proportionata vehementiæ morbi dosis
oblata fuit.

§. XXIX.

Electuarium Oruietanum vix inter opiata meretur re-
ferri. Inter CCXXVI. vncias sunt theriacæ Androma-
chi sex vnciæ, vnde computo instituto apparet quatuor
drachmas sex forte grana theriacæ complecti. De re-
liqua œconomia medicinæ huius nunc non vacat dispi-
cere. HELMONTII iudicium in *aurora medicinæ* le-
gere iuuabit, editionis Germanicæ, quæ omnium opti-
ma est, pag. 659. *Electuarium diascordium* FRACASTO-
RII in vnciis LVI. & sex drachmis, inclusa gerit opii
XC. grana: ex quo conficitur, tres electuarii nostri dra-
chmas cum dimidia, vnum opii granum fouere. Ha-
bet autem, pro qualicunque correctorio, piper, Zin-
giber, cassiam ac cinnamomum, præter adiecta alexi-
pharmaca. Ipse auctor salutem non alia conditione
promittit in morbis contagiosis, quam si cum magno

vehiculo ex succo citri, trifolii acetosi & aceti, adsumatur. SYDENHAMVS commendat, sed ea quantitate datum, quæ mensuram potius quam titulum remedii impleat. Eius, ut puto, discipulus, certe epitomator, PECHEY, plerumque sex drachmas præbet, quæ dosi non nimia est illis casibus, ubi maiorem usus & necessitas requirunt.

§. XXX.

In hoc diascordio displicebat viro magno, FRANC. de le BOE SYLVIO, excessiua quantitas sacchari cum conserua rosarum adhibiti, & mellis seorsim adiiciendi pro electuarii consistentia: quare his omnibus abiectis concinniore medicinam fecit, quæ vegetabilium alexipharmacorum vires, per spiritum vini extractas & radice imperatoriæ, cum aromatibus quibusdam, in forma pulueris adiectis, massam quandam pilulis idoneam sistit. Non promptum est indicare quantitatem quæ opii granum vnum foueat: æstimare tamen licet in drachmis XLVIII. duas drachmas opii contineri: adeoque diascordii Syluiani vnam drachmam opii duo grana cum dimidio fouere. Videatur ipsemet auctor *prax. med. lib. I, Cap. LVIII. §. 22.* Dosi præscribit grana XV. vel XX.

§. XXXI.

Ex magna variorum ingredientium farragine composita est *antidotus* MATTHIOLI, quam secundum præscriptum pharmacopoeæ Augustanæ parare iubentur officinæ nostræ, si alicubi usus eius forte supersit. Cum cælesti theriaca QUERCETANI certare potest ingredientium varietate, quæ in illa dinumerabilis est, in hac ad calculum vix reuocatur, cum amplissimas compositiones, theriacam ac mithridatium, recipiat, insuperque

que quinque sic dictas species, id est pulueres officinales valde compositos, atque duo trochiscorum genera, haud certe simplicia. Sat amplo otio abundet, qui singula enarrare & eorum pondera ad calculum reuocare velit. Non læsero officium mortuis debitum, si dixerō MATTHIOLVM operæ pretium non fecisse suo studio. Drachmæ eius cīo ioc lvi. habent opii grana XC. quæ totidem doses ponemus. Ad sunt theriacæ sex vnciæ, quas adsumemus doses esse XLVIII. mithridatii autem parem quantitatem doses XXIV. æstimabimus: conficitur, vt tota quantitas doses CLXII. contineat. Atque adeo vltra vnciam liceret in assumendo progredi, ad decem drachmas, nisi confusanea reliqua farrago plerorumque calidorum nos contineret. Ipse auctor drachmam vnā, ad summum tres, dare præcipit *Comment. in Dioscorid. lib. VI. p. m. 980.*

§. XXXII.

Vt in præcedenti pater theriaca & mater mithridatium simul ambulant, sic in *Electuario contra pestem* secum ducunt, tamquam telesphorum filiolum, diascordium puta Fracastorii. Cur pari quantitate molis posita sint, quæ virium quantitate imparia sunt, causam vix aliam inuenies, præter illam, quam iocati indicauimus. In vniuersum vix octo doses sunt. Sed quid iuuat immorari infelicis ingenii inuenusto partui, ætatem vix laturo? Progredimur ad alia.

§. XXXIII.

Inter pilulas nouas obueniunt, quæ maiori ingenio confectarum nomen vtique merentur, *Starkeyanae*, ab inuentore D. GEORGIO STARCKEY, Anglo nomen adeptæ. Non laudaturi sunt eas, qui remedii bo-

nitatem ex formulæ longitudine metiri solent. Opii pars vna cum duabus pulueris ellebori albi iungitur: permiscuntur ambo sapone quodam chemico, ex oleo terebinthinæ optimo & sale tartari, magno & patienti studio conficiendo: cuius duplum ad opii & ellebori pondus, debet in massam recipi. MATTHAÏS quidam empiricus elleborum nigrum addidit & glycyrrhizæ puluerem: BOYLAEVS insuper etiam crocum. Ratio totius medicamenti est, quod opii nimia vis excitatur per elleborum adiectum, vt in theriaca per scillam & piper, in Philonio Romano per euphorbium. Corrector ille tam opium, quam elleborum, eneruat, proprie loquendo nil corrigit. Nimis & intempestiue oblatus diuresin valde exstimulat, & gonorrhoeam facit. Plura cupiens adeat STARCKEYI chemiam, BOERHAAVII *elem. chem. P. II. proc. 74.* adde editionem spuriam *process. 67.*

§. XXXIV.

Succedunt *pilule Wildegansianæ*, quorum maius est ingenium, quam a lanarum carptore, hinc ciniflone facto & in empiricum euecto, expectare licebat. Sed incidunt in talium hominum manus subinde aliqua, quæ deinde sibi vindicant. Basin hic facit opium, quod corrigitur auro fulminante & sulphure antimonii aurato, tamquam emeticis, quibus aloes, myrrhæ crocique parum succenturiantur. Perquam multas esse descriptiones scio: sed vix meliorem vidi illa, quæ in nostro dispensatorio legitur. Sunt autem tam Starckeyanæ, quam Wildegansianæ, admodum parce dandæ: sæpiusque vidi dimidium granum priorum (nam Wildegansianis ad hunc modum paratis nunquam usus sum) pulveri-

veri-

veribus temperantibus & nitrosis mixtum, satis spei ac voto fecisse. Mihi, vt verum fatear, in vtrisque displicet, quod nimis exigua quantitas doseos in corpus delata totas vires simul ac semel in ventriculo exserit: semperque melius ac tutius esse vidi, si quis ad harum imitationem purgantia & anodina rite iuncta extractis gummosisque misceat, sic enim sensim resoluta & ad plures interaneorum partes successiue delat, ablandiorem & securiorem efficaciam exserunt. Nec puto purgantia fortissima requiri, quæ vix satis ubique tuta sunt, sed ialappæ scammoniiue refinæ cum pinea tritas, opii connubio idoneas inueni. Quin noui excellentem, practicum, qui in mitiori casu extracta rhabarbari & croci mixta, in molestiis catarrhalibus, adhibet, fructu spei abunde satisfaciente.

§. XXXV.

Reliqua officinarum opiata strictius recensebo. *Trochisci de succo liquiritiæ* correcto in XVII. unciiis habent opii citrati tres drachmas. Unica igitur drachma granum opii continet. Florum sulphuris magna portio adiecta facit ut satis bonum sint remedium in tussi & aliis catarrhalibus affectibus, sed sufficit scrupulum dimidium præbuisse. *Electuarium antifebrile* in quatuor drachmis paulo amplius vno opii grano complectitur: sed ob alia adiecta minus placet. *Morsuli contra pestem* in duabus libris, & septem fere vnciis, habent theriacæ quatuor drachmas: magnam quantitatem sane deuorare deberet, qui inde noxam vellet metuere. *Pulvis anodinus confortans* est valde opiatus: fouet in septem granis vnum extracti opii: quare admodum caute erit dandus. *Pulvis contra palpitationem cordis* in XV. scrupulis habet theria-

riacæ cælestis scrupulum dimidium & laudani opiatigrana quinque: in priori iustas doses tres, in posteriori duas esse ponemus, tales scilicet, quas non facile attingimus aut superamus: apparet igitur scrupulum vnum esse dosin mediocrem.

§. XXXVI.

Laudanum opiatum ad extracti opii duas vncias adiicit extracti croci quartam partem, additque puluerum, a quibus opium non corrigitur, quinque drachmas & odoramentorum drachmam dimidiam. Habemus itaque in grano vnico paulo minus duabus tertiis opii fere crudi. Nihil præclari est in hac medicina. In *laudano hysterico* omittuntur odores, accedit autem extractum castorei. *Laudani vrinarii* scrupulus dimidius, laudani ordinarii granum vnum fouet. *Laudanum liquidum Sydenhami* ad duas vncias opii, croci vnam recipit. Vini Hispanici optimi libra 1. ad extrahendum & soluendum adhibetur. Includit igitur drachma vna, quantum ex decem opii granis solubile fuit. Apparet decem huius laudani guttas vt plurimum sufficere, raroque altius ascendendum, sæpe infra has sublistendum esse: quas aquis ad scopum idoneis diluere, & partitim præbere iuuabit, quo minus periclitabimur.

§. XXXVII.

Inter *essentias* reperio *theriacalem*, quæ paratur ex theriacæ vncia vna, cui affunditur sp. vini libra dimidia. Eius itaque drachmæ duæ tantum virium opiatæ medicinæ fouent, quantum expectari potest a scrupulo vno theriacæ Andromachi. Porro *anodinam ex laudano*. Vncia vnica possidet tantum opii, quantum inest drachmæ laudani vni, id est fere duos scrupulos. Ultra guttas X.

non

non licebit multum progredi Consultius est sequi modum D. D. Ludovici, qui, sumtum notabili compendio, parat ex opio crudo, cuius vnciæ vni affundit menstrui vncias octo. Erit itaque in vncia vna, quantum a drachma opii proficisci potest. Guttæ decem aut XII. sufficiunt. *Essentia pectoralis s. asthmatica Anglica*, admodum parum de opio habet. In LXXII. drachmis, quæ sufficienti spiritus quantitate infundendæ sunt, habemus opii duas: si ponamus quadruplum spiritus affundi, quæ minima erit quantitas, vnciæ XXXVI. parabuntur, quarum quævis nondum integra duo opii grana comprehendet. Haud ita magnam dosin dederit qui dimidiam obtulerit: præsertim si amplius, quam nos in calculo supposuimus, diluta fuerit. *Tinctura opii D. CRAANII* proxime accedit ad *Essent. anodinam LVDOVICI*, paremque in dando modum postulat.

§. XXXVII.

Superfunt duo medicamenta, quæ magnifico *elixirii* nomine superbiunt Horum primum *pestilentielle*, ad CROLLIVM auctorem pertinet. Est essentia theriacæ, balsamo sulphuris combinata. Nihil virium ab opio, quod in theriaca fuit, expectari potest in tam exigua dosi quam auctor præscribit, quæ a pauculis guttulis ad scrupulum vnum ascendit: & hanc superare, ob caliditatem ceterorum, non consultum est. *Elixir præservativum contra pestem*, si cetera spem implent, ob opii accessionem metui non debet, cum integra libra eius non plus mithridatii admittat, quam quantum semel impune licet assumere.

E

§. XXXVIII.

§. XXXVIII.

Denique etiam dispiciendum erit de destillatis quibusdam, quorum materiam opiatae medicinae ingressae fuerunt. Occurrunt autem *aqua theriacalis simplex & composita*: atque ex his porro praeparantur alia. *Simplex*, ad dispensatorii nostri praescriptum accurate parata, in vncia vna tantum habet, quantum a drachma vna theriacae Andromachi accipere potuit: mereturque potius dici spiritus. Sed *Spiritus theriacalis* nomen tribuitur alii destillato, cuius tres drachmae continent quicquid spiritus ex theriacae granis LXXXI. trans alembicum vehere potuit: insimulque myrrhae & croci viribus imbutum est. *Aqua theriacalis composita*, praeter vegetabilia complura, recipit theriacae Andr. tres vncias & mithridatii vnam; quibus vinum Rhenanum & succi vegetabilium quidam, cum aceto bezcardico, infunduntur, quae vniuersa quantitas facit libras duodecim. Si ponamus pharmacopoeum destillando euocare partem tertiam, quatuor libras; binae utique prolecti liquoris vnciae complectentur, quantum theriacae drachma vna, & mithridatii scrupulus vnus, largiri potuerunt.

§. XXXVIII.

Mixturam simplicem nostrae officinae, secundum normam sibi praescriptam, parant ex spiritus theriacalis camphorati vnciiis V. spiritus tartari duabus, & spir. vitrioli vna vncia. Habet itaque vncia huius mixturae drachmas quinque sp. theriacalis, duas spiritus tartari, vnam spiritus vitrioli. Si itaque theriacae gr. LXXX. vnicum granum opii continent (§. XV); & spir. theriacalis tres drach-

drachmæ theriacæ granis LXXV. respondent (§. XXXVIII.): in his quinque drachmis nondum est quod duabus dosibus theriacæ par sit, de opio. Eadem quantitas grana camphoræ sex, ex præscripta lege, fouet, & forte amplius quartam grani partem. Sed vereor, ne maior pars camphoræ, admixto spiritu tartari & vitrioli, ad fundum præcipitetur, & valde parum, vixque memorabile supersit. Nescio igitur quid sibi velint, qui vel suspectum reddunt medicamentum, modo de opio modo de camphora mustitantes: vel simplicitatem, quam laudare debebant, ipsi obiiciunt. Equidem omnibus tincturis bezoardicis & essentiis alexipharmacis longissime præferendam eam esse expertus assero.

§. XXXX.

Tinctura bezoardica, est mixtura simplex composita & prodige opiata. Tres drachmæ cum dimidia continent decem grana opii. Ex quo fit, vt propter opii nimiam quantitatem, quæ dosin ad paucas guttas restringit, ceterorum vires proportionato modo non possint adplicari ægroto. Sed hoc dictum sit de ea, quæ ad præscriptum nostri dispensatorii paratur: nam melior & innocentior est, & parum a Mixtura simplici diversa ea, quæ iuxta pharmacopœam Augustanam parata alibi in vfu est, & cum emolumento quotidie datur. Nostræ oeconomiam propius intueri oportet. Paratur spiritus bezoardicus, cuius duæ libræ continent quicquid integra libra theriacæ destillato communicare potest. Huic spiritui permiscantur cetera, & inter hæc opii duarum vnciarum pondus. Iam totum medica-

mentum vncias XLII. conficit: sequitur, vt in vna drachma habeamus, quantum theriacæ drachma dimidia destillando emittit, & insuper opii integri, tantum dissoluti, duo grana cum dimidio.

§. XXXXI.

Aqua vitæ contra pestem, potius essentia dilutior theriacalis & alexipharmaca, in libris XXV. vncias tres theriacæ Andromachi complectitur. Libra itaque integra tantum possidet ab opio, quantum a theriacæ drachma vna capere potuit. Eiusdem census est *spiritus febrifugus & diaphoreticus*, cuius libræ XVIII. opii drachmas quatuor habent: ex quo cognoscitur vnciam integram huius abusive dicti spiritus granum opii vnicum, cum exigui momentuli excessu, continere. Quam fortiter ille aduersus pestem, hic aduersus febres, pugnaturus sit, hic non exquirere vacat: sufficit opiatas vires indagasse, quæ longe vtique maiores sunt in posteriore, in priore vix memoratu dignæ.

§. XXXXII.

Spero me dixisse de omnibus opiatas compositis ad vsum internum destinatis, & in nostrarum terrarum officinis prostantibus. Superest vt dispiciamus de illis, quæ vsum externis destinata sunt. Occurrit primo *Sotirella parua*, id est massa quædam dolentis cavi dentis cauernulæ indenda. Fere quarta parte constat ex opio, adeoque narcotico effectui non carebit. Succedit *aqua odontalgica*, quæ in sesquilibra comprehendit tantum opiatarum virium, quantum ad XXXVI. doses introsumendas sufficit: adeoque vncia dimidia ori fouendo & colluendo erit tuta quantitas. *Vnguentum somniferum* in quinque vnciis habet opii drachmam vnâ: adeoque in

in vncia dimidia grana sex opii continet. Longe minus, & vix vt reuocari ad calculum possit, opiatum est *unguentum comitissæ*, cuius libris forte quatuor, vel quinque, duo admodum scrupuli accedunt opii, quod in trochiscis de Carabe continetur: vnde parum vel sperandum ab illo, vel metuendum, videri possit.

§. XXXIII.

Emplastra opiata sunt *catarrhale*, quod in tribus vnciis duas drachmas opii fouet: ex quo consequitur quemuis scrupulum paulo minus duobus granis fouere: quam quantitatem puto sufficere inducendo emplastro in ordinariis casibus, vbi ad tempora imponi solet. *Carminatiuum Sylvii*, in tribus vnciis fouet drachmam opii: de bonitate eius & vsu ipse nos edocet *praxeos libr. 1. cap. XIV. §. 58.* quibus nihil vel addere vel obiicere audeo, quum mihi experientia, quam adducit, sacrosancta sit. *Emplastrum pro temporibus* in vnciis XXX. habet tres opii. Decima igitur parte sua est merum opium. Existimo autem parum eius poros cutis posse subire, quum tenacibus resinis, quæ maximam emplastri partem constituunt, inuiscetur & quasi irretitum sit. Quantitas exigua, quæ imponitur, etiam hic, vt in catarrhali, facit, vt non magnopere extimescendus sit vsus: cui experientia quotidiana adstipulatur, quæ multa exempla vsus optatissimi offert. Memini casus, vbi ab imposto hoc acerrima materia & cutim, super quam defluerant guttæ, erodens, euocata, omnem dolorem dentium hemicranoden feliciter abstulit, quum totalia præsidia in vanum & cassum fuissent adhibita. Atque hæc nunc

S V F F I C I A N T.

NO-

NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

P R A E S E S.

Qui ad medicinam faciendam accedunt, ante omnia curare debent, ut eorum, quæ præscripturi sunt egrotis fidei ipsorum commissis, habeant accuratam cognitionem. Admodum multa sunt, quæ antiquitas nobis commendavit, tam simplicia medicamenta, quam ex his præparata & composita. Optandum utique esset, ut quæ eodem nomine gaudent, eodem modo se per uniuersum orbem haberent, nemoque auderet quicquam in illis loco mouere. Fatendum tamen est, rem non ita habere, sed multum discrepare libros, qui pharmacopoeis normæ loco dati sunt, eoque fieri ut diversis locis diuersarum virium medicamenta eodem nomine veniant. Incredibilem hæc res facit molestiam & magnorum sæpe errorum occasiones præbet. Nam siue quis practicatorum libros legit & laudes medicamentorum notauit; si alio loco utatur non eodem modo paratis, non habere utique eandem successum res potest: siue alibi centies uno medicamento
usus,

usus, & certos effectus consequutus est; si alibi idem cum optima circumspectione tentare velit, sine suo excidet aut damno illato ingemiscet. Sed huic calamitati una medela est, assiduum studium pernoscenti dispensatoria & pharmacopoeas diuersorum locorum, atque illa sedulitas, ut omnia rite comparemus cum illius officinae, ad quam praescriptiones dirigenda sunt, perspectis rationibus. Præter cetera autem hanc cautionem adhibere oportet in duobus medicamentorum generibus, quibus excretiones prouocamus, & quibus motibus nimis concitatis modum ponere cupimus. Et quamquam in utroque genere magnum ab abusu & errore periculum imminet: haud tamen scio annon maius sit a posteriori medicamentorum classe metuendum. Opera itaque pretium fecisse mihi videris, qui hoc medicinarum genus ad examen reuocasti, virium rationes ponderasti & usum indicauisti. Gratulor laborem bene per actum, & curriculum academicae vitae cum laude absolutum, utque honoribus, quos prope diem consequeris, feliciter diuque fruaris, patriaeque tuae plurimo cum fructu inseruias, animo TIBI optime cupiente, voueo & apprecor. Vale. Halæ Magdeburgicae a. d. xviii. Maii c. l. lccc xxxv.

Freund

S Freund, der auf Schulen schon mein treuer
Damon war,

Ich liefre Dir entzückt die reinsten Wünsche dar:
Denn Meditrine will mit zärtlichen Empfinden,
Den edlen Lorber-Schmuck um Deine Schläfe winden.
Nun siehst Du, was der Fleiß vor schönen Nutzen
bringt

Und wie man durch Verdienst dem Ruhm entgegen
dringt.

Du solst nach klugen Ernst und suchenden Verlangen
Der Weisheit ersten Lohn den Doctor-Hut empfangen;
Der Himmel stehe Dir in Deinen Curen bey;
Damit Dein Lob und Glück frisch, herrlich wach-
send sey.

Ich dancke Deiner Gunst aus unverfälschtem Triebe;
Entzeuch mir nie Dein Herz, vergiß nicht unsre Liebe.

So wollte dem Herrn Doctorando als
seinem hochgeschätzten Freunde, zur wohl-
verdienten Doctor-Würde aufrichtig
Glück wünschen und sich dessen bestän-
diger Liebe und Gewogenheit empfehlen.

George Friederich Cruger.

S. S. Theol. Studiosus
Crosn. Siles.